

Handwritten text on the adjacent page, including numbers 3, 7, 8, and 1, and some illegible characters.





DISPUTATIO  
DE  
LEGATIS ET  
FIDEICOMMISSIS: 1637 57

790.

41

QUAM  
D. O. M. A.  
PRÆSIDE

Amplissimo & Consultissimo Viro,  
DN. GEORGIO-DAVIDE LOCA-  
MERO, U. J. D. INQUE FLORENTISSIMA AR-  
gentoratensium Universitate Pandectarum Professore  
celeberrimo, Patrono ac Præceptore  
suo æternùm colendo,

*Solemniter examinandam proponit*

ERNESTUS HEUS  
Argentoratensis.

*ad diem Febr.*



ARGENTORATI  
Typis JOHANNIS REPPIL.  
Anno M. DC. XXXVII.

o-  
s.  
e-  
de  
&  
cl.  
ro-  
ori-  
riè  
m;  
oli-  
ros.  
nis  
i. 2o  
am,  
va-  
do-  
d si  
tio-  
an-  
o, si  
eqq.  
feu-  
falli  
suo  
vire  
72o





DISSEMINATIO

REGALIS

FIDELICOMMISSARIUS

DE

RE

IN GEORGIA

RE

RE

RE

RE

RE

RE

RE

RE

RE

RE

RE

RE

RE

RE

RE

RE


RE

RE

RE







DISPUTATIO  
DE  
LEGATIS ET FIDEL  
COMMISSIS.

THESIS I.

**L**egatum est Donatio quædam, à defuncto relicta, ab herede præstanda: Fideicommissum verò, quod defunctus, fidei heredis aliùsve, tertio alicui restituendum, commisit: Quod si singulare sit, nomine quidem modòque relinquendi à legato differt: sed in effectu idem cum illo est, & alterum alteri exæquatum.

QVÆSTIONES.

I.

*An legatum, mortis causa donatio, vel simpliciter donatio, rectè dicatur? Neg.*

II.

*An legatum aliquando titulus universalis, vel unquam legatarius pro juris successore habendus sit? Neg.*

III.

*An legatum eo quod à defuncto, nullà aliùs gratià relinquitur, specificè differat à fideicommissò, quod semper ab alio, velut precibus requisito, relinquitur? Aff.*

IV.

*Utrùm legatum ab herede præstandum, in definitione ejus malè vel frustra; an verò, ad declarandam ejus naturam appositè, necessarioq; dicatur? Post. aff.*

*An*



V.

*An propter exaurationem legatorum & fideicommissorum, etiam libertas alieno seruo directò (& sic inutiliter) data, quasi per fideicommissum (& sic utiliter) data, defendenda sit? Neg.*

VI.

*An bene de auctore exaurationis istius Justiniano dubitetur? Neg.*

THESIS II.

Legare possunt omnes & soli ii, qui testamentum facere possunt: è quorum numero notabiliter excipiendi sunt de statu suo ad testandum necessario dubitantes, filiusfamiliàs, deportatus, servus: In quibus, aliisque testari prohibitis, adeò stricta est juris observatio, ut eorum nec ad pias causas legata valeant. Legari verò potest omnibus & solis iis, cum quibus est testamenti factio, cum per se; quorum numero haberi debent etiam servi, & personæ incertæ, & quodammodo etiam capti ab hostibus: non etiam deportati, nec in metallum damnati: tum etiam respectu testatoris; quo nomine inter alios excludendi sunt, qui cum illo contraxerint illicitum matrimonium, item liberi ejus incestuosi.

QVÆSTIONES.

I.

*An fideicommissum relinquere possit qui legatum non potest? Neg.*

II.

*An etiam, qui, sui vel alieni juris sit, dubitat, testari vel legare impediatur? Disting.*

III.

*An legata, quæ filiusfamiliàs permittente patre de bonis profectitiis, vel non pleno jure possessis adventitiis, testatus, dedit, saltem*



saltem vi clausulae salutaris, ut quocumq. modo relicta valeant,  
tanquam mortis causa donationes, valere debeant? Neg.

792

I V.

An ultima voluntas filii familiae, de aliis quam castrensibus  
vel quasi castrensibus bonis, fideicommissa (vel legata) relin-  
quentis, conualescat ex eo, quod is postea sui juris factus in eadem  
voluntate perseveraverit? aff.

V.

An si deportatus fideicommissum (vel legatum) dederit, ac  
postea restitutus in eadem voluntate duraverit, relictum bene  
defendatur? aff.

V I.

An & legatum vel fideicommissum, quod miles, capite  
damnatus, & sic servus poenae effectus, reliquit, inutile sit? Dist.

V I I.

An justa sit ratio, ex jure saltem Canonico, defendendi lega-  
ti vel fideicommissi, quod non permissus aliquis, ad eleemosynas  
reliquit? Neg.

V I I I.

Utrum legatum servo relictum ex personam domini an servum  
consistat? Disting.

I X.

An legatum vel fideicommissum servo relictum & delatum,  
a domino repudiari possit, ne post a servo agnosci vel acquiri  
queat? affirm.

X.

Utrum civitati, vel alii universitati, ad certum, sed illicitum  
usum relicta, apud heredes remanere, an verò, sed adhibitis  
istis, etiam in alium usum converti possint ac debeant? Post. aff.



XI.

*An, si quis civitati, vel cui alii, legatum dederit, idque ejus fidei, certo alicui collegio restituendum commiserit, collegium verò istud dissolutum fuerit, legatum alii collegio præstandum, vel penes heredem relinquendum, vel denique legatario ad usus suos quoslibet concedendum sit? Post. affir.*

XII.

*An pauperibus relictum, etiam pro re nata, in unum pauperem rectè conferatur? Affir.*

XIII.

*An alimenta alicui legata, etiam intermedio tempore, quo deportatus is fuit, debeantur? Aff.*

XIV.

*An fideicommissum vel legatum, deportati servo utiliter relinquatur? Affir.*

XV.

*Utrum, quod Testator liberis suis ex incestu, vel aliàs illicità cohabitatione susceptis, legavit, apud heredes remanere, an verò in fiscum deferri debeat? Disting.*

XVI.

*An incestuosus liberis, alimenta saltem rectè legentur, & ab heredibus præstanda sint? Disting.*

T H E S I S I I I.

Si duobus, vel pluribus, ab eodem, res eadem, sive conjunctim sive disjunctim legata sit, tunc, si quidem ambo vel omnes perveniant ad legatum, id inter eos scinditur: si unus vel aliquis eorum deficiat, portio ejus ad alterum vel reliquos, secundum conjunctionis prærogativam, pertinet.

Qua-



I.

*An conjunctio, ex qua jus accrescendi contingit, in diversis, non quidem testamentis sed codicillis, fieri possit? Aff.*

II.

*An & in legato per damnationem, quâ tale & ex sua naturâ accipitur, jus accrescendi locum inveniat? Neg.*

III.

*An res eadem & conjunctim legata, videri debeat, si Titio decem, & Seio eadem decem, vel, Titio & Seio eadem decem, legata proponantur? Neg.*

IV.

*Utrûm collegatarius, qui tempore facti testamenti non in rerum naturâ, nec futurus, vel incapax fuit, pro deficiente, ad effectum juris accrescendi; an verò pro parte faciente, quæ apud heredem manere debeat, habendus sit? Disting.*

V.

*An inter jus accrescendi: & jus non decrescendi, sit observandum discrimen? Affir.*

VI.

*An & inter solos verbis tantùm conjunctos locus sit juri accrescendi? Neg.*

VII.

*Utrûm conjuncti collegatarii deficientis portio gravata, accrescat. alteri etiam invito: an verò huic, portionem quidem suam retinere, deficientis autem ratam, cum suo onere, repudiare sit liberum? Post. neg.*

THESIS IV.

Legari possunt regulariter res omnes & solæ eæ, quæ incom-



commercio sunt: cum per se; tum ratione legatarii: eaq;  
*non tantum corporales*, sive quoad corpora individua, tum  
continua, tum discreta, certòq; demonstratæ; ut Stichus,  
fundus Tusculanus, fundi istius instrumentum, mea su-  
pellex, meum aurum: sive simpliciter in genere, vel adje-  
cto pondere, numero, mensurave rerum fungibilium si-  
gnificatæ: ut equus, alimenta, dos, olei pondo decem, flo-  
reni decem, vini amphoræ decem: *Sed & incorporales*, ut  
servitutes, tum personales, tum reales; nomen, liberatio:  
itemque non tantum præsentis quæ existunt, ita ut jam  
haberi vel comparari possint; sed etiam futuræ, quatenus  
scil. reipsâ, uti sperabantur, extiterint.

QVÆSTIONES.

I.

*An &, quæ Testator à legatario vel fideicommissario, sive  
conditionis implendæ, sive modi servandæ causâ, alicui dari vel  
feri voluit, legatorum vel fideicommissorum nomine veniant,  
& ab eo cui injuncta sunt, omninò præstari fierique debeant?  
Disting.*

II.

*An rerum earum, quæ per se quidem in aliquo, sed non lega-  
tarii vel fideicommissarii commercio sunt, æstimatio saltem lega-  
tario debeat? Neg.*

III.

*An fundus cum instrumento, vel fundus & instrumentum,  
amplexu significatuque, à fundo instructo differant? Aff.*

IV.

*An si vel fundus cum instrumento, vel fundus & instrumen-  
tum, vel fundus instructus legatus sit, extincto legato quoad  
fundum,*



fundum, idem etiam quoad instrumentum videri debeat extin-  
ctum? Disting.

794.

V.

An mortuo alimentario, etiam alimentorum pro prete-  
rito tempore nondum praestitorum, petitio, heredibus ejus com-  
petat? Aff.

VI.

An alimenta, annuis vel menstruis pensionibus praestari soli-  
ta, pro toto anno vel mense, cujus initium alimentarius vivendo  
attigit, debeantur? Neg.

VII.

An Ususfructus appellatione, in l. 15 ff. de aur. vel arg. leg.  
veniat quidem ipsa proprietas: sed in l. 32. §. 1. ff. de usu vel usufr.  
leg. is à proprietate separatus intelligendus sit? Aff.

VIII.

An si creditori, in diem vel sub conditione debitum, lege-  
tur, & ante diem vel conditionem, dies legati cedat, ratione tan-  
tùm representationis & interusurii, an verò & ratione totius,  
legatum utile existimandum sit? Disting.

IX.

An conditionalis vel in diem debiti, legati, etiam post con-  
ditionem existentem, vel diem venientem, sit aliqua utilitas?  
Aff.

X.

An liberatio à reddendis rationibus legata, legatario libe-  
rationem etiam ab in rem actionibus pariat? Neg.

XI.

An & res hostium, quae postliminio non gaudent, seu nostrae  
nunquam fuerunt, utiliter legentur? Disting.

B

An



## XII.

*An rerum futurarum legatum, rectè pro conditionali habeatur? Neg.*

## XIII.

*Utrùm rebus futuris legatis, si minus extiterit, quàm testator nominaverit, heres vel istius præstatione, satis legato faciat: an verò ad præstationem totius adstringi debeat? Pr. aff.*

## T H E S I S V.

Rectè quoque legantur res non tantùm propriæ, sed etiam alienæ, quas tamen alienas esse Testator sciverit; in iisque nominatim etiam feudum, & Emphyteusis, & Ususfructus: saltem ad hoc, ut quæ res illæ ipsæ ab herede comparari, & præstari, non possunt, præstetur earum æstimatio. Regulariter autem excipiendæ sunt res legatarii propriæ, itémque res ædibus junctæ. cæterùm, & res una eidem sæpius legata, tantùm semel debetur: in summa verò eidem sæpius legata, voluntatis est quæstio; sed magis tamen, ut ex uno testamento vel unis codicillis, tantùm semel debeat, ex distinctis verò sæpius, nisi contrarium probetur.

## Q U Æ S T I O N E S.

## I.

*Utrùm in doctrinâ legatorum, res heredis ad Testatorem relata, pro propriis, an alienis, habenda sint? Pr. aff.*

## II.

*An legatum feudum ipsum præstari debeat, saltem in casu, quo id post mortem Testatoris ad heredem pertinuerit? Neg.*

An



*An ut Emphyteuta jus suum legare & ad legatarium transferre possit, opus habeat consensu domini? Neg.*

## IV.

*An usufructuarius cum usufructum, tum & rem usufructuariam legare possit? Aff.*

## V.

*An marmora, aliæ vères adibus junctæ, saltem ad effectum æstimationis præstandæ, rectè legentur? Neg.*

## T H E S I S VI.

Relinqui possunt legata, non tantum testamento, sed & ab intestato; voluntate tamen solenni & perfectâ: nec modò si disponens ipse, ultrò, verba, voluntatem suã, sive primò, sive per consequentiam significantia, exprimat: sed etiam, si ad interrogationem alius respondeat, vel annuat: denique non tantum purè & absolutè, sed etiam poenæ causâ, & cum adjectione dici, conditionis, demonstrationis, causæ, modi.

## Q V Æ S T I O N E S.

## I.

*An & ex testamento aliquo per se infirmo, legata saltem vel fideicommissa peti possint? Disting.*

## II.

*An ut ex epistolâ, vel qualitercung, etiam sine scriptis declaratâ voluntate, legatum vel fideicommissum peti possit, vel duorum testium adhibitio sufficiat? Neg.*

B 2

An



## III.

*An jus legatorum vel fideicommissorum, ex schedulâ duobus testibus confirmatâ, vel unius Notarii manu scriptâ, defendi possit ex eo, quod Testator, in ipsa testamento, schedula ejusmodi apponenda mentionem fecerit, hâc reservatione, ut quod eâ scriptum fuerit, non minus quàm in ipso testamento scriptum valeat? Neg.*

## IV.

*An, si Testator filiis heredibus scriptis adjecerit, ne pradia, quæ ad eos perventura sint, alienarent, sed sua successioni conservarent, deque eâ re sibi invicem caverent, fideicommissum agnoscendum sit? Disting.*

## V.

*An legatum ex die incerto relictum vel præstandum, pro conditionali habendum sit? Disting.*

## VI.

*An quævis conditio impossibilis, legato adscripta, possit negligi? Neg.*

## VII.

*An conditio pro impleta habenda sit, quando non per eum cui adscripta est, sed per tertium aliquem stat, quò minus impleatur? Disting.*

## VIII.

*An & cautio Mutiana admittenda, ubi adversus conditionem, de non faciendo, factum non iri, aliter quàm per mortem ejus, cui conditio adscripta est, constare potest? Disting.*

## IX.

*An & cautio Mutiana, ab herede ex asse instituto, heredi aliâ ab intestato successuro, præstanda sit? Aff.*

An



*An falsa demonstratio legatum vitiet? Disting.*

## X I.

*An & sub turpi, eâq, detrahendâ, rei legata vel legatarii demonstratione relictum valeat? Disting.*

## X I I.

*An sub modo relictum debeat, et si legatarius de modo isto servando non caverit? Aff.*

## T H E S I S VII. &amp; post.

Effectus legatorum vel fideicommissorum præcipuus est, quòd confirmatione & delatione eorum factâ, legatarius vel fideicommissarius, consequatur non tantum actionem in personam, qua relictum, tanquam sibi debitum, exigat: Sed & si de re certâ & Testatoris propriâ agatur, actionem in rem, qua eam tanquam suam vindicet, cum usuris & fructibus à tempore moræ computandis: Imò & hypothecariam, qua res hereditarias, jure pignoris sibi, pro securitate relictî, ex lege obligatas persequatur. Item, quòd fiduciarius res fideicommissis subjectas, alienare in alium quàm fideicommissarium non possit. Contrariatur autem eis potissimum ademptio, quæ & nutu Testatoris, ac qualitercunque declarata, imò & ex facto interdum desumendâ voluntate, fieri potest.

## Q V Æ S T I O N E S.

## I.

*An ut ex testamento, vel codicillis ad testamentum factis, legatum vel fideicommissum peti possit, necessaria sit testamenti, per hereditatis aditionem, confirmatio? aff.*



## II.

An & ex bonis vacantibus fisco delatis, legata & fideicommissa debeantur? aff.

## III.

Utrum servitutis predialis legata dies, à morte Testatoris; an verò ab adit à hereditate cedat? Pr. aff.

## IV.

An & optionis legata dies, à morte Testatoris cedat? affirm.

## V.

Utrum ad acquisitionem legati vel fideicommissi, necessaria sit agnitio: an verò id etiam ignorantibus acquiratur? Pr. affirm.

## VI.

Utrum legati acquisitione facta, dominium ejus retrò à tempore mortis Testatoris: an verò adit à hereditate, legatarii fuisse videri debeat? Post. aff.

## VII.

An mora, à quâ usuris & fructibus præstandis heres adstringitur, non quidem à morte Testatoris, nec ab adit à hereditate, nec ab agnitione legati, sed ab interpellatione, etiam ante iudicium facta, intelligi debeat? affirm.

## VIII.

An heres, etiam justam litigandi causam habens, à tempore litis contestatae usuris & fructibus præstandis obligetur? Neg.

## IX.

Utrum, si legato injunctum fuerit fideicommissum, post sublato & corrumpente fideicommissum, etiam legatum ipsum tollatur ac corruat: an verò id penes legatarium remaneat? post. aff.

F I N I S.



X 2615926


VD.17











B.I.G.

Farbkarte #13

o 790.  
41  
S E T  
SSIS: 16375

o Viro,  
DE LOCA-  
NTISSIMA AR-  
arum Professore  
ceptore  
roponit  
E U S

ATI  
REPPIL  
II.

